

Rubei: Basileæ 1486. & aliæ infinitæ similiter glossis & commentariis illustratæ, ut Lugdunensis 1557. 8. Venet. 1568. &c.

Theophili Antecessoris Græca versio, seu Paraphrasis, *Institutionum Justiniani*, (Politiano c. 84. Miscell. pridem laudata,) exstat quidem manuscripta in Bibliotheca Vaticana Cod. Palat. xix. a pag. 5. ad pag. 235. necnon in Bibliotheca Veneta Sancti Marci Cod. membran. 178. & in Biblioth. Regia Parisien. Codice membran. 1364. 1365. & 1366. Prodiit autem *Græce*, primum quidem [teste Mich. Maittaire Annal. Typograph. Tom. 2. pag. 801.] *Basileæ* ex officina Froberiana anno 1534. foldeinde integrior collatis manuscriptis Codicibus eodem an. 1534. *Parisii* in 8. apud Christianum Wechelum sub scuto Basileensi, cum proluxa Præfatione Viglii Zuichemi Phrysi ad Carolum V. Imperatorem data Patavii 1533. prid. Kal. Junii: qui Zuichemus ex Bibliotheca Veneta Sancti Marci exemplar sibi Cardinalis Bessarionis a Petro Bembo communicatum testatur, altero etiam ex Bibliotheca Florentina Johannis Baptista Egnatii usus. Postea recusa est *Græce* Lovanii anno 1536. in 4. ex Rutgeri Rescii officina, adjunctis aliquot Petri Nannii adnotatiunculis. Latina autem versio *Francisci Cranenueldii*, quam laudat Petrus Nannius in Apologia adversus Jacobum Curtium Tom. 1. Lampadis Artium Gruterianæ p. 1378., non vidit lucem; sed exstat Latina interpretatio *Jacobi Curtii* Brugensis Jurisconsulti, separatim edita Pictavii 1539. ac deinde Colonix eodem anno, Lugduni 1557. in 12. & 1581. curante Ludovico Miræo, & Lovanii, novissime etiam Parisiis 1681. in 12. cum Johannis Doujatii notis impressa. Verum *Græco-Latina editio* curata est Lugduni apud Antonium Tornæsium Typographum Regium anno 1580. in 12. cura ac studio Viglii Zuichemi primum in lucem edita, tum vero a Ludovico Miræo emendatior reddita, addita Latina interpretatione Jacobi Curtii Brugensis Jurisconsulti, cum præfatione ejusdem Tornæsii ad Lectorem data Lugdun. Idibus Augusti 1580. Eadem Latina editio, unacum Græcis, sine edito-